



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] magnanimitas sit circa honores? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Vtrum magnanimitas sit circa honores?

643

AD primum sic proceditur. Videur, quod magnanimitas non sit circa honores. Magnanimitas enim est in irascibili: quod ex ipso nomine patet. Nam magnanimitas dicitur quasi magnitudo animi. Animus autem pro vi irascibili ponitur, ut patet in 3. de Anima: ubi Philosophus dicit quod in sensitiuo appetitu est desiderium & animus, idest, concupiscibilis & irascibilis. Sed honor est quoddam bonum concupiscibile, cum sit primum virtutis. Ergo videtur quod magnanimitas non sit circa honores.

¶ 2 Praterea, Magnanimitas cum sit virtus moralis, oportet quod sit circa passiones vel operationes. Non autem est circa operationes: quia sic esset pars iustitiæ. Et sic relinquitur quod sit circa passiones. Honor autem non est passio. Ergo magnanimitas non est circa honores.

¶ 3 Praterea, Ratio magnanimitatis videtur pertinere magis ad prosecutionem quam ad fugam. Dicitur enim magnanimus, quia ad magna tendit. Sed viri tiosi non laudantur ex hoc quod cupiunt honores, sed magis ex eo quod eos fugiunt. Ergo magnanimitas non est circa honores.

SED contra est, quod Philosophus dicit in 4. Ethic quod magnanimitas est circa honores & inhonorationes.

RESPONDEO dicendum, quod magnanimitas ex suo nomine importat quandam extensionem animi ad magna. Consideratur autem habitudo virtutis ad duo. Primo, ad materiam circa quam operatur. Alio modo, ad actum proprium, qui consistit in debito usu talis materiæ. Et quia habitus virtutis principaliter ex actu determinatur, ex hoc principaliter dicitur aliquis magnanimus, quia habet animum ad aliquem magnum actum. Aliquis autem actus potest dici dupliciter magnus, vno modo, secundum proportionem, alio modo, absolute. Magnus quidem potest dici actus secundum proportionem, etiam qui consistit in usu

E 4 alicu-

Su. q. 28.
c. & inf.
presenti q.
a. 4. & 8.
con et q.
131. a. 2.
con & 3.
d. 26. q. 2.
a. 2. ad 4.
& d. 33.
q. 3. ar. 3.
q. 1. c. &
ad 2. &
d. 34. q. 1.
a. 2. cor. c.
2. fin.
* l. 3. te.
42. tom. 2.
li. 4. co. 3.
ant. med.
tom. 5.

alicuius rei parvæ vel mediocris, puta si aliquis illa re optimè utatur: sed simpliciter & absolute magnus actus est, qui consistit in optimo usu rei maximæ. Res autem, quæ in usum hominis veniant, sunt res exteriores, inter quas simpliciter maxima est honor; tum quia propinquissimum est virtuti, utpote testificatio quædam existens de virtute alicuius, ut supra habitum est *; tum etiam quia Deo & optimis exhibetur; tum etiam quia homines propter honorem consequendū, & vituperium vitandum, alia omnia postponunt. Sic autem dicitur aliquis magnanimus ex his quæ sunt magna absolute, & simpliciter, sicut dicitur aliquis fortis ex his quæ sunt difficilia simpliciter. Et ideo consequens est, quod magnanimitas consistat circa honores.

q. 103. a.

1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quod bonum vel malum, absolute quidem considerata, pertinent ad concupiscibilem: sed in quantum additur ratio ardui, sic pertinent ad irascibilem. Et hoc modo honorem respicit magnanimitas, in quantum scilicet honor habet rationem magis vel ardui.

q. 123. a.

3. & 4.

Ad secundum dicendum, quod honor, etsi non sit passio vel operatio, est tamen alicuius passionis obiectum, scilicet spei, quæ tendit in bonum arduum. Et ideo magnanimitas est quidem immediate circa passionem spei, mediate autem circa honorem, sicut circa obiectum spei: sicut & de fortitudine supra dictum est *, quod est circa pericula mortis, in quantum sunt obiectum timoris & audaciæ.

Ad tertium dicendum, quod illi qui contemnunt honores hoc modo, quod pro eis adipiscendis nil inconueniens faciunt, nec eos nimis appetiunt, laudabiles sunt. Si quis autem hoc modo contemneret honores, quod non curaret facere ea quæ sunt digna honore, hoc vituperabile esset. Et hoc modo magnanimitas est circa honores, ut videlicet studeat facere ea quæ sunt honore digna. Non tamen sic, ut pro magno æstimet humanum honorem.

A R.